Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31664
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

omnium postrema est, que liberis omni sup-
plicio gravior est. [qua…] Nam ubi libertas pe-
rit, una ibi pereunt universa. Mortium vero
diversi casus, ex quibus [hec] crux vel patibulum,
in quo homines appensi cruciantur vel pereunt.
unde et nominata sunt. Patibulum tamen enim vulgo fur-
ca dicitur, quasi ferens caput. Suspensum enim et stran-
gulatum hec exanimat. Sed patibuli mi-
nor pena quam crucis. Nam patibulum appen-
sum statim exanimat, crux autem suffixum diu
cruciat. Unde et in evangelio latronibus ut
morerentur et de ligno ante sabbatum depo-
nerentur crura confracta sunt, quia ligno suspen-
si cito mori non poterant. In ipso quoque genere
necis differt. Crudelius est enim in aqua spiritum tor-
quentis extingui, ignibus uri, frigore et
fame necari, canibus et bestiis exponi. Nam
ferro mori etas quoque maior optavit. Gladius
enim sine graviori cruciatu compendiosa
morte vitam finire novit. Culleum est par-
ricidale vasculum ab occulendo, id est clau-
dendo. Dictum est autem uter ex corio factus, in
quo parricide cum simia et gallo et serpen-
te inclusi in mare precipitantur. Omnium autem
istarum mortium genus animadversio nominatur.
Animadversio enim est quando iudex reum punit.
Et dicitur animadvertere, id est animum illuc ad-
vertere vel intendere, utique ad puniendum
reum, quia iudex est. Ideo autem romani aqua et ig-
ne interdicebant quibusdam dampnatis, quia
aer et aqua cunctis patent et omnibus data sunt,
ut illi non fruerentur quod omnibus per naturam con-
cessum est. **De cronice vocabulo. De temporibus.**

Cronica greece dicitur que latine **XXVIII.**
temporum series appellatur, quale apud
grecos Eusebius cesariensis episcopus edidit et Hie-
ronimus presbiter in latinam linguam convertit.
Cronos enim grece latine tempus inter-
pretatur. **De momentis et horis. XXVIIII.**

Tempora autem momentis et horis, diebus, mensibus,
annis, lustris, seculis, etatibus dividuntur.
Momentum est minimum atque angustissimum
tempus a motu siderum dictum. Est enim extremi-
tas hore in brevibus intervallis, cum sol aliquid
sibi cedit atque succedit. Hora grecum nomen
et tamen latinum sonat. Hora enim finis est temporis,
sicut et hora sunt fines maris, fluviorum,
vestimentorum. **De diebus. XXX.**

Dies est presentia solis, sive sol super terras,
sicut nox sol sub terris. Aut enim dies aut
nox fit. Causa est autem super terram sol aut sub
terris. Dies legitimus XXIIII horarum est, usque dum
dies et nox spacia sui cursus ab oriente usque
ad alium orientalem solem celi volubilitate con-
cludat. Abusive autem dies unus est spacium ab
oriente sole usque ad occidentem. Sunt autem
diei spacia duo: interdianum atque noctur-
num. Et est dies quidem horarum XXIIII, spacium autem
horarum XII. Vocatur autem dies a parte meliori.
Unde et in usu est ut sine commemoratione noc-
tis numerum dicamus dierum, sicut et in lege di-
vina scriptum est: Factum est vespere et mane dies
unus. Dies secundum egyptios inchoat ab occasu
solis, secundum athenienses a sexta hora diei,
secundum romanos a media nocte. Unde et tempus
gallicinium est, quorum vox ostendit diei preco-
nium, quando et inde somniculosus afflatus fit. Dies aute-
ni a diis, quorum nomina romani quibusdam sideribus
sacraverunt. Primum enim diem a sole appellave-
runt, qui princeps est omnium syderum, sicut et
idem dies caput est cunctorum dierum. Secundum
a luna, que solis splendore et magnitudi-
ne proxima est et ex eo mutuatur lumen. Tertium
ab stella martis, que vesper vocatur. Quar-
tum ab stella mercurii, quam quidam candidum
circulum dicunt. Quintum ab stella iovis, quam feton-
tem aiunt. Sextum a veneris stella, quam luci-
ferum asserunt, que inter omnia sidera plus lucis habet.

secundum persas ab ortu solis